



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]

III. Januarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

S. Genoveva Virgo noctem Sabbathi precibus ad Deiparam fuis vigil impendere solita, cereum, noctu templum Deiparæ accedenti prælucentem, dum vento extinctus esset, solo tactu reaccendit. Puerum, qui Mariæ laudes dicere adjuvaret, à mortuis revocavit. *Fasti Mariam.* Solidus in Virgine amor solus non est.

Ora pro me S. V. Genoveva, ut cor meum, sopitis debitæ in Mariam devotionis ignibus tepidum, novas flammæ concipiat, ut & vivens his utatur ignibus, & expiraturum eodem in rogo consumatur. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies milles, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, &c. *fol. 2.*

Ad quod impetrandum: Aliquam, post Solis occasum, Deiparæ iconē veneraturus accedam.

Tu, ô Genitrix vitæ, es unica spes peccatorum; per te expectamus veniam delictorum, in te nostrorum est expectatio præmiorum. *S. August. ser. 8. de Ass.*

Quæstio: An Deipara superet sanctitatem, & gratias omnium Angelorum & Sanctorum collectivè? *v. Paul. Segnori in Clen. Mar. capite secundo.*